



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Croesvs Et Codrvs. hoc est, Copiæ Et Inopiæ Damna vel  
Lvcra, à bono iustoq[ue] Mundi Governatore Deo  
Distribvta**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadij, 1648**

§. 2. Pauperum potestas regia etiam in hac vita.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52359)



peres, quantò magis conueniet illis, qui libera voluntate diuitias abijciunt, & calcant, paupertatemque vltro profitentur?

## §. II.

*Pauperum potestas regia etiam in hac vita.*

Iam verò illud consideratione dignum est, quòd diuina sapientia, quæ cæteris de futuro mercedem promittit, dicens: *possident terram; consolabuntur; saturabuntur; misericordiam consequentur; Deum videbunt; filij Dei vocabuntur: solis autem pauperibus, ac persecutionem patientibus ait: quoniam ipsorum est regnum calorum; quia, vt D. Bernardus ait: Regnum calorum pauperibus non tam promittitur, quam datur. Hinc non dicit, ipsorum erit, sed, est regnum calorum. Etsi enim vera æternaq; beatitudo, non in hac, sed in altera primùm illis vita, haud secus ac ceteris sanctis, conferenda sit, iuxta*

**Exod. 33.** *illud: Non poteris videre faciem meam: non enim videbit me homo, & viuet; attamen honoris & certitudinis causâ iam illorum esse dicitur. Enimuerò iam est, quoad quamdã iurisdictionem, ac potestatem id alijs quoq; aperiendi. Atq; hoc est alterũ, quod paulò priùs diximus, pauperes alijs esse longè plus vtilis, quàm diuites. Diuites possunt*

*alijs*



alijs pecuniam, possunt vestem, possunt cibum, possunt domum dare, cælum dare, non possunt. Atqui pauperes possunt. Non possent autem regnum calorum alijs dare, si id illorum non esset. Regis esse regnum, propulum regni esse dicimus. Christus autem ait, pauperes non tantum ad regnum caeleste pertinere, sed etiam regnum caeleste esse ipsorum. Etenim adeò est illorum, ut habeant potestatem illud etiam alijs dandi, seu alios in illud recipiendi. Quomodo, inquires, possunt pauperes regnum calorum alijs dare? Diuina id veritas docet his verbis: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in aeterna tabernacula.* Ita enim planè est, ad hanc pauperes voluntarij gloriam euehuntur, ut veluti caelestes quidam reges, regnum calorum, quod illorum est, etiam alijs distribuant. Quamquam enim hæc Dei sit iurisdictio propriè, tamen pauperes sic voluit Deus honorare, ut eorum causa facilè eos ad regnum calorum admittat, qui illis stipendant, atque idcirco, quia *misericordes sunt, misericordiam consequuntur.* Non dixit autem Christus, *ut postquam pauperes mortui fuerint, recipiant vos ibi,* sed, *ut cum vos defeceritis,*

Luc. 16.9.



feceritis, seu mortui fueritis, ipsi recipiant vos, adhuc in hac vita manentes. Quod proprium est regum, qui etsi extra regnum suum versentur, tamen alios in regnum intrmittere possunt. Ad eundem enim modum pauperes, adhuc extra cælum existentes, alios ad cælum queunt promouere, non impetrando tantum, sed etiam viscera eorum mouendo, vt fiant misericordes, atque idcirco & ipsi misericordiã consequantur. *Hæc est illa perfecta iustitia, inquit Lactantius, quæ custodit humanam, de qua Philosophi loquuntur, societatem. Hic diuitiarum maximus ac verissimus fructus est non uti opibus ad propriam vniuersi voluptatem, sed ad multorum salutem; non ad presentem suum fructum, sed ad iustitiam, quæ sola non interit.*

Lactant.  
l. 6. c. 12.  
de vero  
cult.

## §. III.

*Regnum cælorum dare, esse pauperum, quia id possunt impetrare orando.*

Act. 9. 36.

Orationes sanè pauperum dignas esse, quæ impetrent, quod orant, ostendit D. Petrus in Thabitha, quæ erat plena bonis operibus, & Eleemosynis, quas faciebat, pro qua Petrum circumsteterant omnes viduæ stentes & ostendentes ei tunicas & vestes, quas faciebat illis Dorcas. Ob quas preces eam Apostolus à morte